

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chytræus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XIII.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122)



*Maris Cenereth.* maris Galileæ adiacentis vrbi Cenereth, quæ postea in honorem Cæsaris Tiberias appellata est, Num. 34. Nomen est à Cithara, cuius figuram lacus refert.

*Dedit & dimidia tribui MANASSE,* cuius filij Ios. 17. Num. 26. 1. Paral. 7. recensentur.

MACHIR primogenitus Manassis	Abie- zer	He- lech	Ez- riel	Si- chem	E- pher	Semi- da.
---------------------------------	--------------	-------------	-------------	-------------	------------	--------------

Ab hoc ortæ familiæ hæreditatem suam trans Iordanem accipiunt terram Galaad & Basan, Num. 32.

Hæ familiæ hæreditatem suam cis Iordanem cum filijs Ephraim sortitæ sunt, Ios. 17.

*Manaim,* MaHanaim in finibus tribuum Gad & Manasse ad ostium fluuij Iaboch in Iordanem se exonerantis, ciuitas Leuitis postea attributa Ios. 21. 3. Reg. 4. Nomen habet à castris Angelorum, quibus se eo in loco cinctum esse vidit Iacob Gen. 32. & Dauid 2. Reg. 17. *Vniuersam Basan.* vberimam & fertilissimam regionem trans Iordanem à fontibus fluuij vsq; ad torrentem Iaboch pertinentem, quam Ogo regi Basan ademtam Moses, posteris Machir, primogeniti Manasse, attribuit, Num. 21. 32. Deut. 3. *Omnesq; vicus IAIR.* pronepotis Machir filij Manasse, à quo, villæ Iair, dicta sunt oppida Canath, Aram, Gessur, &c. Num. 23. 1. Paral. 2. Genealogia hoc ordine recensetur.



*Dimidiam partem Galaad.* nam oppida quædam Galaaditidos, in tribum Gad inciderunt. *Astaroth & Edrai,* Ios. 12. *Vt locutus est illi,* Num. 18.

## Caput XIII.

**A**LEB filius Iephonne ( qui aliàs Ezron vocabatur ) filij Phares, pronepos patriarchæ Iudæ, petens urbem Hebron & viciniam sibi in distributione terræ patribus promissæ attribui, illustre exemplum est psalmi 112. *Beatus vir qui timet Dominum, qui mandatis eius valde delectatur. Potens in terra erit semen eius, Generatio rectorum benedicetur. In æternum non commouebitur, in memoria æterna erit iustus.* Ab auditione mala non timebit, FIRMVM COR EIVS SPERARE IN DOMINO. Confirmatum est cor eius, non timebit donec gaudebit de inimicis suis. Iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.



Talis viri, vera pietate erga Deum & puro corde ac conscientia bona & fide non simulata, sed sincera & firma, in Deo acquiescentis, καὶ ἀληθείας ἀγαθῆς, χερσὶ τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετραγώνως ἀνεύψους, expressa imago est, hoc in loco, CALEB, toto corde adhærens Deo, & singulari robore fidei ac constantia confirmatus, nullis terroribus aut illecebris se à cursu veræ pietatis semel suscepto dimoueri patiens. Nam & familia huius iusti, Deo benedicente, ita creuit, vt *viginti quinque filij ex vno Calebo nati florent*, quorum nomina etiam æternæ posteritatis memoriæ 1. Paral. 2. & 4. consecrata sunt: & florentissimam ac celeberrimam partem tribus Iuda, videlicet urbem Hebron, in qua sedes ecclesiæ, & familiæ, & sepulturæ etiam locus clarissimorum luminum ecclesiæ Abraham, Isaac & Iacob fuerat, hæreditate accepit: & ipse in senectâ florens non tantum autoritate, opibus, multitudine liberorum, potentia, verum etiam heroico animi & corporis vigore, sapientia spirituali & politica, successibus in gubernatione, & gloria rerum à se gestarum tranquille fruens, verè exemplum est dulcissimæ promissionis Psalmi: Iustus vt palma florebit, vt cedrus Libani multiplicabitur, plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebut. Et in senectâ adhuc germinabunt, pingues & virides erunt, & annuntiabunt, quoniam rectus Dominus, & non est iniquitas in eo. Ingens autem & singulare donum Dei, & Reipublicæ præsidium ac ornamētum excellens, est talis senex, qui non modò pia & ardenti præcatione ecclesiam & Rempublicam assidue Deo commendat, vt in veteri versu dicitur: ἔργα νέων, βελαιὶδε μέσων, δαχναὶδε γερότων: verum etiam cum Augusto senex ita iuuentutem alloqui potest: ἀκούσατε νέοι γερότος, ἔνεα γερότες ἤκουσα. Tali autoritate & vigore animi ornatus senex apud Romanos M. CATO fuit, qui vt Caleb noster, ad annum ætatis 85. progressus, in militia forensi causam dixit, ipse pro se orauit, scripsitque. ac nota sit studiosis ingenij, doctrinæ, & morum Catonis descriptio luculenta, à Liuiο tradita. Omnes patitios, plebeiosque, nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingenijque fuit, vt quocunq; loco natus esset, fortunam sibi ipse facturum fuisse videretur. nulla ars neque priuata, neque publicæ rei gerendæ ei defuit. urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit. huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, vt natum ad id vnum diceres quocunq; ageret. in bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnans: idem posteaquam ad magnos honores peruenit, summus imperator: idem in pace si ius consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus. nec ita tantum vt eius lingua viuo eo vigerit, monumentum eloquentiæ nullum extet. viuit imò vigetque eloquentia eius, sacra scriptis omnis generis. orationes & pro se multa, & pro alijs, & in alios. nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigauit inimicos. simultates nimio plures & exercuerunt eum, & ipse exercuit eas. nec facile dixeris, vtrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Asperi procul dubio animi, & linguæ acerbæ, & immodicè liberæ fuit: sed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentia, contemptor gratiæ, diuitiarum: in parsimonia, in patientia laboris, periculi que, ferrei propè corporis animique: quem ne senectus quidem, quæ soluit omnia, fregerit: qui sextum & octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se orauerit, scripseritque: nonagesimo anno

Sergium



Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium. Tale ferreum propè corpus in Calebo nostro fuit, quod ne senectus quidem, quæ soluit omnia, fregit: & militare robur, quale in iuuenta habuit, integrum viuidumque anno ætatis 85. conseruauit.

Vt autem vita ipsa, sic prorogatio vitæ & vigor animi ac corporis, eximium ac singulare Dei donum est, præsertim in senectâ, ad quam tamen in hac effœta mundi senectâ paucissimi perueniunt. Xenocratem & Posidonium Philosophos legimus annos 84. vixisse. ISOCRATEM & Sophoclem 95. PLATONEM anno vitæ 81. scribentem animam exhalasse. Eodem ætatis anno, in hac Academia, senex venerandus, CONRADVS PEGELIVS, vires mentis & sensuum ad extremum halitum vsque retinens integerrimas, die 15. Nouembris, anno 1567. in cœlestem academiam emigravit, cum annos 60. scholæ huius membrum fuisset. Ita Vricus episcopus Augustanus, anno ætatis suæ 84. Christi 974. decessit. & in vicina vrbe Sundio, FRANCISCVS VVesselius consul, vir integerrimus anno ætatis 83. eadem die cum coniuge, quam annos 59. in matrimonio habuerat, ex his terris euocatus est. Catonem verò senem, à Liuiio laudatum, ingenij & animi magnitudine, & morum integritate simillimum, rigidi Seruator honesti, Franciscus Ximenes Toletanus Cardinalis auorum memoria in Hispania repræsentauit.


Est autem nobis petenda à Deo, & mediocri diligentia etiam, & temperantia, fouenda & conseruanda longior vita, vt doctrinam de Deo & alias artes à Deo monstratas & vitæ necessarias ipsi discere, & vsu ac exercitijs vitæ confirmare, & alios iuniores diu docere, & consilio, doctrina & autoritate gubernare possimus. Ineuntis enim ætatis imperitia, senum constituenda & regenda prudentia est, inquit Cicero, & magnum ecclesiæ ac Reipublicæ decus sunt, senes doctores & gubernatores, ὡς ἔστι ποδος μὲν βραδύ, ἔστι δὲ ἔνταχύ. Studiosi dictum Plutarchi meminerint: πρεσβυτερικὸν ἢ νεότης, ἢ γεροντικὸν δὲ τὸ γῆρας. καὶ μάλιστα σώζεται πόλις ἐνθα βελταὶ γερόντων, καὶ νέων ἀδούων ἀριστερίαι. Præterea vt Caleb toto corde adhærens Deo, καὶ μόνῳ, καὶ μετὰ ἄλλων, pro Dei gloria pugnat, & quamquam ab omnibus collegis suis, vno Iosua excepto, & tota multitudine, deserebatur, tamen SOLVS constantem pietatem & fidem suam Domino Deo suo probat, & sua voce ac confessione alios etiam errantes & deficientes in viam reducere & confirmare conatur. Ita nos, & soli, & cum alijs, pro aris & focis, seu pro Dei gloria & ecclesiæ ac patriæ salute propugnemus. Consideretur & bonæ conscientie exemplum & definitio, quæ est notitia legis Dei, & iudicium in mentibus nostris, quo recte facta, hoc est, cum lege Dei congruentia, approbamus, & nos recte fecisse, & propositum non delinquendi consulto & sponte aduersus legem Dei, habere scimus, quam scientiam ordine diuinitus sancito sequitur tranquillitas cordis, & spes auxiliij & protectionis diuinæ. Hoc testimonium bonæ conscientie omnibus pijs necessarium est, vt Paulus præcipit: Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conscientiam, sicut hoc in loco Caleb se recte sensisse & fecisse, & dominum Deum sincera & constanti fide secutum esse testatur. Postremo, notatio annorum vitæ & legationis Calebi ad explorandam terram diligenter consideranda est. ex qua certo ratiocinamur, distributionem terræ Canaan præcisè anno mundi 2560. anno septimo post transitum siccatis Iordanis & expugnationem Iericho;



Iericho, à Iosua inchoatam esse. Est enim Caleb 40. annorum, cum explorator in terram promissam, anno 2. post exitum ex Aegypto, Num. 10. 13. mittitur. Sunt autem à reditu exploratorum vsq; ad ingressum in terram promissam anni 38. Deut. 2. Compleuit igitur Caleb anno mundi 2493. transiens cum populo Israël Iordanem siccatum annos ætatis 78. Cum autem promissam sibi hæreditatem terræ attribui peteret, natus fuit annos 85. Septem igitur anni à primo ingressu in terram transierant: quibus ad annum mundi 2493. adiunctis, præcise 2500. efficiuntur. Hæc Chronologia toti historiæ Iosuaæ lucem adfert.

TEXTVS. Eleazar sacerdos, filius Aaronis, Exod. 6. 28. Leuit. 10. Ios. 19. 21. אֶלְעָזָר per aphæresin est Lazarus, Gott helffe dir / Gott berahthe dich. Principes familiarum, delecti, Num. 34. vt tribubus forte terram distribuerent. Filij Ioseph in duas diuisi tribus Manasse & Ephraim. adoptantur à Iacob, Gen. 48. benedicuntur, Gen. 49. Deut. 33. accipiunt sortem terræ, Ios. 16. 17. vbi de singulis prolixius dicemus. Successerunt autem in Ius primogeniti Ruben, cui duplicia de hæreditate debebantur.

C A L E B filius Iephonne. Genealogia tota recitatur, 1. Paral. 2. 4.



כלב totus cordatus, seu toto corde adhærens Deo. יֵפֹנֶה Iephonne respexit.

Cenezæus, קנזי Kenizi possessor, vel calamus aspersus. vnde origo sit huius epitheti incertum est. Quidam fingunt Cenez vitricum Calebi fuisse, vnde Cenezæus dicatur. alij fratrem, alij aliud, Gen. 15. inter populos terræ Canaan nominantur Cenezæi, Gen. 15. quorum regionem fortasse Caleb occupauit. Cadesbarne. vide sequenti capite 15. Tradidit ei Hebron. de qua Ios. 10. fol. 57. & Ios. 15. Cariatharbe. id est, ciuitas Arbe, qui princeps illius viciniae fuit. vt nunc in Germania arces & vrbes à conditoribus nomina accipiunt, Carlstadt / Henrichstadt / Augustusburg / Friderichsburg. Adam maximus ibi inter Enachim situs est. appellatiue reddendum fuit, scilicet Arbea ille, à quo ciuitas nomen habet, maximus inter Gigantes illius loci fuit.